XIII

Annuente & benedicente Domino.

Exercitatio Juridica.

De

CIVITATIBUS.

cujus velitationem

SPIRITUS SANCTI ASSISTENTE GRATIA
in celeberrima Academia Lipſienſi

Præſide

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

M. SEBASTIANO

Krebs J. U. Ldo.

Eruditiſſimis juvenibus exponit tutamenq́; ſubire tentat

ZACHARIAS CLAIUS AUROB. VARISC: LL. Stud.

Ad diem 19. Novembris hora & locô conſuetis.

ANNI,

GratVIto noſtrI DeVs aCh MIſerere IehoVa.

Auguſtinus *lib. 1. de Trinit.* 11.

Non pigebit me, ſicubi hæſito, quærere: nec pudebit, ſicubi erro, diſcere.

ΠΡΟΘΕΩΡΙΑ

Sicuti Ic̃to in foro verſanti turpe putatur jus in quo verſatur ignorare. l. neceſſarium 2, §. Servius 43. ff. de O. I. *Ita quoq; turpe & ignominioſum exiſtimatur in civitate verſari & Jura civitatis ignorare. Hâc de cauſa rem alienam haud peracturi videbimur, ſi de Civitate, ejusq; connexis juribus, & privilegiis ſequentes poſitiones diſputationis incudi ſubjiciamus.*

THESIS I.

Ut autem à notatione nominis, quæ teſte ſubtilitatum magiſtro, nos ſæpè ducit in ipſius rei cognitionem, inſtitutum noſtrum auſpicemur: CIVITATEM dictam putamus q. CIVIUM UNITATEM *cum Petro Greg. Tholoſ. lib. 1. de Rep. c. 3. Sect. 1.*

2. Et quidem rectè: Concordia enim civitatis incrementum eſt, & quovis muro firmius munimentum. Nam per illam res parvæ creſcunt; per diſcordiam v. magnæ dilabuntur. *Criſp. Saluſt. de bello Iugurthino.*

3. Hinc Ageſilaus à quodam percontatus, quam ob cauſam Sparta mœnibus non cingeretur, reſpondiſſe fer-

tur; Civitatem non ſaxis, lignisvè, ſed pro vallis, & mœnibus incolentium virtute muniri oportere; quos (ait) ſi jungit concordia nullus poteſt eſſe murus inexpugnabilior. *Plutarchus in Lacon: apoph. Schönborn, ſol. 1. c. 13.*

4. Accipitur verò civitas vocula variè; nonnunquam figuratè per Synecdochen continentis pro contento, pro loco ædificiis ac domibus referto ac mœnib: concluſo, quem cives incolunt, *ut in l. præſertim 6. & l. ſingulorum 8. C. de ædific. privat. Cardinal. Mantica Lucub. Vatic. l. 13. tit. 24. num.* 11.

5. Atque in hac acceptione cùm urbis appellatione convenit: quæ ſit dicta ab urbe ſive urvo. i. e. curvatura aratri. quod in determinandis, & condendis urbib. in iisdē quoq; evertendis adhibere ſoliti fuerunt PRISCI *l. pupillus 239. §. urbs 6. & ibi Gœdd. de V. S. l. ſi uſusfructus 27. ff. quibus modis uſuſf. amit. Bodin. lib. 1. de Repub. c. 6. Loſæus de Iur. univerſ. p. 1. c. 2. n. 29. Matth. Steph. de Iuris d. l. 2. p. 2. c. 1. n. 4. & ſeqq. Abel. Straſburg. ad. l. 26. ff. de rebus cred.*

6. Aliâs inter urbem & civitatem maxima eſt differentia. Urbs enim Vocabulo ſola ædificiorum continentia muris cincta venit: *l. urbis 2. de V. S. c. ſi civitas de ſentent excom. in 6.* Civitatis incolumen universitas quippe quæ extra muros conſiſtere & urbe exire poteſt. *Acsc. Enenckel de Privileg. l. 3. c. 14. n. 2. & 3. Schonbörn pol. 1. c. 14.*

7. Hanc differentiam opportunè obſervavit Themiſtocles dùm ad λόξον καὶ ἀμφόφυλον illud oraculi effatum (civitas ſalva erit in muris ligneis) Athenienſibus perſuaſit, ut urbe relictâ mari ſe crederent, ac navibus ſibi ſalutem quærerent. *Herod. in Polym. Plutarch. in Temiſtoc. Bodin. de Repub. l. 1. c. 6. n. 49.*

8. Porrò civitatis dictio ſumitur, vel in abſtracto, vel in con-

in concreto. In abſtracto ſumpta cum Rep. coinicidit, ſignificat ordinationem, & regimen civitatis, & jus ſecundum quod cives vivunt. *Kirchn. diſp. 7. de Rep. th.* 1. *lit. A, ſub fin.*

9. Quamvis JCtis interdum quoque ſit jus ipſum in civitate verſandi, ejus legibus, ac inſtitutis vivendi, ac viciſſim privilegiis, ac immunitatibus illius utendi, quod Græci πολίτευμα, noſtrates das Bürgerrecht vocāt. *Meichſner tom. 4. deciſ. numer. 216. Matth. Steph. de jurisd. lib. 2. part. 2. cap. 1. num. 15.*

10. In concreto verò denotat collectam hominum communi jure viventium multitudinem. *Steph. d. l. num.* 15. Et hæc acceptio maximè pertinet ad noſtrum inſtitutum. *Paurm. de jurisd. l. 2. cap. ult. num. 1. & 8. Iacob. Theming. cōſ. 41. n. 24. lib. 1.*

11. Definimus igitur civitatem, quod ſit civium & familiarum vitæ generibus, ac muneribus diſtinctarum ad vitæ commoditatem, & communem utilitatem juris cōmunione conjuncta ſocietas *Gumpoltz. diſſ. de civitat. th. 15. Arniſ. Poli. c. 6. Artic. 3. Polit. 6.*

12. Idque ideò, quia homines congregati ſine jure Symbiotico, ſunt turba populus, ac gens, imò cœtus, multitudo, ac ipſa congregatio *Loſæus de jur. univerſ. num. 59. & Haver diſſertatione publ. th. 10. & ſeqq.*

13. Efficiens cauſa civitatis ratione principii eſt ipſa natura, ratione perfectionis ſive complementi, eſt placitū & inſtitutum hominum. Ad cujus eſſe non requiritur ut habeat Epiſcopum. *cap. 1. de privil. & exceſſ. prælat.* licet hoc malè aſſeratur, *in Scitote c. 6. q. 3. & cap. Salvator de præbēdis in extra vaga* : quia civitates fuêre antequam ullus Epiſcopus extiterit *Bartol. & Alex. in l. 2. de V. S. & tex. in c. 1. de privil. Paurm. d. l. n. 2.*

14. Sed ſolus Imperator in Imperio Romano Germanico tribuit jus civitatis. *argumento l. 1. C. de metrop. Beryt.* quod ſimul innuit jus Saxonicum *art. 16.* **Landrecht /** *lib. 1. art. 9.* **Wechbild** ubi non modo principis territorii in quo civitas extruitur, ſed & cæſaris authoritate opus eſſe declaratur: *Sixtin. de Regal. lib. 1. ca. 4. n 75. & ſeqq. Iohann. Dauth. in ſua hypotheſi Sect. 6. & 7. Auctor conſilii ut in actis Brunovic. num. 26. & ſeqq.*

15. Materia eſt multitudo familiarum & coniunctio pagorum. Sicuti enim pagi ex pluribus familiis ita civitates ex pluribus pagis conſtituuntur. *Ariſto. lib. 1. πολι. 2. in princ. & ibidem Kecker. Heinon. 1. πολιτ.*

16. Forma eſt ipſa ordinatio civium ad normam juris, & legum directa, ex qua pateſcit illicet diſcrepantia inter civitatem & Rempublicam tanquam materiam & formam. Nam in illa civitas dicitur πολις Reſpub. v. πολιτια, ideò πολις eſt concretum πολιτία v. abſtractum. *Hauer. th. 19. Kirchn. diſp. 7. de Repub. th. 1. litt. A. in f.*

17. Finis civitatis duplex deprehenditur primarius & ſecundarius, ille eſt vita honeſta, ſeu bonum honeſtum. Hic v. utile bonum, hoc eſt vita commoda profutura, & jucunda *Hauer dict. loco th. 33.*

18. Membra civitatis ſunt ipſi cives, quos deſcribimus liberos homines legib: Reipub. obligatos & ejuſdem immunitatibus, ac beneficiis gaudentes. *Heinon. diſp. πολι. 1. th. 6. Arniſ. ibidem 1. πολι cap. 12. pag. 285.*

19. Homines liberos diximus, ut è civium numero excludantur Servi, qui de jure Romano pro mortuis, ac nullis habentur. *Danæus lib. 2. πολιτ. Chriſt. cap. 4. pag. 48. & 103 & ſeqq. Matth. Iun. πολι 1. q. in fin.*

20. A qua tamen definitione poſita non excludimus infan-

infantes, & ſenes emeritos. Defectus enim & immaturitas ætatis nihil commune habet cum civitate, quin potius ipſa nativitas, ut plurimum non verò ætas civem facit. *l.1.ff. ad Municipal. Ariſtol.3.* πολι.

21. Ex duobus itaque parentibus Campanis natus Campanus fit civis ex municeps. *l* 1. §. *2. ff. dict. loc.* Uti æquè ex matre Puteolanâ, & patre Campano natus *d.l.* cuius rei ratio eſt in *l.38.§.3.ff.d.t.* quod mulier tã diu ejus civitatis incola eſſe credatur cujus maritus eſt.

22. Exceptio tamen eſt *in l.1.§.2.d.t.* quando forte privilegio aliquo materna origo cenſetur, quo caſu ejus originis municeps eſt, ut exemplum eſt in vulgo quæſito, qui non patris ſed matris originem ſequitur, *l.1.in fi.d.l.& l. 24. ff. de ſtat. homin:* niſi legitimetur per ſubſequens matrimonium aut reſcriptum principis *arg. Novell. 74.*

23. Si autem planè ignoretur origo paterna, vel materna ut fieri hoc ſolet in jactatelis, ſeu infantibus ad Xenodochia expoſitis rectè ſanè aſſeritur eſſe cives illius civitatis ubi expoſiti educati, & nutriti ſunt. *Argument l.19.C. de SS.Eccleſ.31.C.de Epiſ.& Eleric.Novell.131.cap. ult.Petrus Greg. lib.15.Syntag.cap.28.n.4.*

24. An autem infantes taliter expoſiti, pro legitimis habendi ſint valdè controvertitur? nobis placet illos in dubio pro legitimis haberi per tradita. *Menoch. de A. I. Q. Cent. 4. Caſ. 396. Paleot. tract. de nothis cap. 61. per totum.*

25. Sed ad rem, ſic ſpecialiter receptum eſt, ut qui in vico natus eſt eam ſibi poſſit aſſciſcere patriam, cui Reipub. vicus ille quam proximè reſpondet *text. elegans in l.30. ubi Godoſ. in notis ff. ad municipal.*

26. Porrò quæ dicta ſunt de nativitate hucuſque

uſque accipienda etiam ſunt de manumiſſione, quæ itidem cives facit, inde libertus patroni originem ſequitur. *leg. 1. §. l. 22. & l. 23. d. t.* etiamſi quis à pluribus manumiſſus ſit, nam tum omnium Patronorum familiam ſequitur. *l. 2. d. l.*

27. Sic & adoptio civitatis jus municipii tribuit, ſi quis à patre campano adoptetur. *l. 15. §. final. d. t.* ita tamen ut utroque in loco adoptionis & originis aſtringatur adoptatus muneribus, *l. 15. §. fin. ff. ad Municipal.*

28. Quibus tandem generibus cives conſtituentibus accenſetur & illa quam ad lectionem vulgò vocant. *l. 7. C. de in col.* quæ fit conventione, & conſtitutione civitatis contractu habito, juſque originis quod naturale eſt neutiquam mutat. *l. 4. C. ad Municipal.* & hi; quos facit adlectio vel incolatus. vocantur cives voluntarii. *dicta lege.*

29. Licet autem civitates variè diſtribuantur pro ut videre licet. *apud Paurm. de Jurisd. lib. 2. cap. ult. numer. 10. & ſeqq. Cluten. d. l. conſt. 27. per totum* receptior tamen eſt illa diſtributio in plenè, & propriè civem, ſeu ex parte, vel quodammodò, ille dicitur civis, qui plenum in univerſitate πολίτευμα habet ac omnibus juribus & commodis civitatis uti poteſt ac imperio legibusque univerſitatis obligatur. *Hauer. ibidem th. 68.*

30. Et hunc iterum Dd. diſpeſcunt in originarium, & aſſumptum, ut ille ſit, qui jure nativitatis civis eſt, hic v. qui conſenſu, & ſuffragio unanimi magiſtratus, jus civitatis eſt conſecutus. *Dd. in l. 239. de V. S.*

31. Ex parte v. ſ. quodammodò civis eſt, qui tantum uno vel quibuſdam juribus veri, & pleni civis in civitate uti poteſt. Et interdùm vocatur inquilinus, qui ſaltem emit, vendit ſpectaculis utitur, & feſtos dies celebrat ut eſt *in l. 27. §. 1. ad Municipal. & l. 2. C. eodem.*

32. In-

32. Interdùm vero vocatur etiam civis qui aliundè adveniendo habitationem in civitate, tamen animo iterum diſcedendi inſtituit, quò referuntur perſonæ nobiles, ſtudioſi, milites, mercatores, opifices, & ſimiles. *Alth. cap. 5. πολι.* Sic & hoſpites advenientes quieſcendi & reficiendi ſui causâ, hoſpitio cauponâ, & tabernâ utentes. Qui ſane omnes maximè conducunt Reipub. ut loquitur *Alth. dict. l.*

33. Prælibatis civitatis membris ſequuntur nunc juſto ordine jura ipſius, & privilegia quæ vel communia ſunt omnibus civitatibus, vel ſingularia: illa ſunt ut ſtatuta, & leges locales licet ſuperiori ſubjectæ ſint condere poſſint, modo non ſint Juri pub. adverſantes, quod uberioribus fundamentis acriter tuentur. *Petrus Heyg. part. 1. q. 23 num. 26. & 27. Weſenb. in para tit. ff. de legib. n. 13. Gotofr. in l. fin. C. de legib. Mynſ. conſ. 32. n. 21.*

34. Quod tamen eatenus verum, niſi hujuſmodi ſtatuta intereſſe ſuperioris, vel aliud quod jus publicum concernit, tangant, ideò pro cautela notandum confirmationem à ſuperiori peti debere ut ritè notat *ſchneid. §. conſtat Inſtitutis d. t. N. G. & C.*

35. In multis autem civitatibus præter ſenatores, & populus adhibetur, & tùm ſtatuta ſi fiunt à toto populo perpetua ſunt. *l. 9. ff. de Iuſt. ex iur.* Si verò à magiſtratu partim annalia ſunt, quando ratione officii condun-tur. *argumento §. 1. inſtitut. de perpetuis & temporalibus actionibus.* Partim verò perpetua, ſi authoritate & voce univerſitatis. *Hauer d. l. th. 102.*

36. Hiſce tamen ſtatutis Laicorum Clerici videntur excepti, eò quod libertatem Eccleſiæ tollant in odioſis maximè *auth. caſſa. C. de SS. Eccleſ.* Si vero faborabilia ſunt, & æquitate plena, utique & illos incluſivè comprehendunt, *Geil. 2. obſervat. 32. n. 8. quem vide.*

B

37. Unde

37. Unde res ſubjecta jurisdictioni ſtatuentium manet tributaria etiamſi ad Eccleſiaſticas perſonas perveniat, res n. debet tranſire cum onere *l.2. & l.fin. Cod. ſine cenſu* & ſi quilibet rei ſuæ legem poteſt imponere *l.135. §. 3. ff. de verb.obligat.* multò magis Reſp. *d.l.2. obſervat. 29. n.8. Geil.*

38. Sic quoque univerſitates Academicæ ſtatuta condere, eaque mandatis penalibus roborare poſſunt, quia non ſolum mixtum, ſed etiam merum imperium exercent, per *auth. habita C. ne filius pro patre. & ea quæ tradit Matt. Steph. de Academiis cap. 12. n. 109. & ſeqq.*

39. Itidem collegiis opificum conceſſum eſt, ut de cauſis ad ipſorum artem pertinentibus adjectâ pœnâ ſtatuta facere poſſint. *Geil. 2. obſervat. 20. n. 8. & 9.* quod poteſt fieri per ſolos Decuriones exemplo Senatusconſultorum, ut inculcat *§. 1. de. N.G. & C.*

40. Omninò a. neceſſe eſt, ut civitatum conſuetudines, & ſtatuta ſint rationabilia, in vim n. legis valent. *l. 19. ff. de legib.* & ſancta debet eſſe omnis legis conſtitutio, & in rationis fulcro fundari. Quo collabeſcente non ſtatutum ſeu conſuetudo, ſed corruptela audit. *cap. mala diſtinct. 8. Novell.* 130. *cap. 2. Vaſq. lib. 1. controverſ. illuſt. cap. 31. numero 31.*

41. Hujuſmodi irrationabiles conſuetudines Poſonorum ſunt illæ, quæ homicidia pecuniariè ſaltem puniunt quod illi vocant **einen todten Halſs löſen** quâ hominibus hominem occidentibus certâ pecuniâ cadaveri impoſita. redimere pœnam licuit *Covar. 2. Reſol. cap. 9. numer. 2. Ludovic. Roman. ſingular. 209. Hering. de fidejuſſoribus cap. 10. num. 340. quam Stephanus Rex rectè ſuſtulit Treut. part. 1. diſp. 1. theſ. 9. litt. b.*

42. Quemadmodùm & conſuetudo maritima, quæ bonæ

bona naufragiorum ad littus appulſa vel rapit vel fiſco vindicat *per authen. navigia C. de furtis Carolus V. conſtitut. criminali Art. 218.* hujuſmodi enim afflicto cui Deus ipſe lites movit maritimas nō eſt afflictio addenda. *Politian tr. de vulg. ſubſt. n. 92.*

44. Simili modo & in illa conſuetudine ne umbra quidem rationabilitatis adeſt, ut ſagarum probatio fiat per aquam frigidam. *Petreius conc. crim. 166. Hotom. in diſp. feud. c. 44. n. 6. Dambud. in tr. crim. c. 43. Brochold. de feud. c. 7. n. 52. Binsf. de conf. maleſ. fol.* 314. quia Diabolus judicia quæ ſancta oportet ſervari commutat hoc modo in Scholam magiæ ut loquitur *Bocerus. de tort. cap. 3. numer. 101. & ſeqq.*

45. Eadem in illa conſuetudine eſt ratio, quâ volunt homicidium probari per ſtillationem ſanguinis ex cadavere occiſo, quia admodum periculoſum eſt, ad judicij neceſſitatem illud transferre. *ut notat Farinacius Tracta. de tortur. lib. 1 titulo 5. quæſt. 52. Num. 156. Petrus Heig. quæſt. 39. num. 90. Part. 2. Bocerus de torturis cap. 3. num. 121. & ſeqq.* Ita quidem ut nec faciat indicium ad torturam *Dd. d. l.*

46. Ex numero vero irrationabilium ſtatutorum eſt illud Mechanicorum: ut quod unus incœpit alteri perficere non liceat. *l. unica. C. de monopol. Daniel. Moll. 2. Semeſt. 15.* Item ne Barbitonſorum, molitorum & opilionum filii ad ſodalitates admittantur. *Schonbörn. lib. 3. πολι: cap. 48.*

47. Multò irrationabilius eſt principum quorundā volentium à novis nuptis in terris ſuis prima homagia habere, *de quo Ioh. Ordel. ad l. fin. n. 339. de R. V.* & populi cujusdam maritum mortuum una cum uxore adhuc ſanâ Vulcano conſecrari. *quod allegat. Obem, in diſc. jure pol. c. 3. nu. 13. Cagnol, in l. ſemper in contr. de R. I.*

48. Hûc referunt nonnulli & ſtatutum de columbarijs approbandis, tanquam jure invalidũ, ſed minus rectè: nam columbaria probanda non damnanda ſunt, cum alimentorum perceptio, quibus homines conſervantur, impediri neutiquam debeat, *ut ait Valent. Arith. exercitatione Juſtinianea. 4. th. 10.*

49. Hûc etiam pertinent ſtatuta civitatum de non appellando quæ planè invalida, quia appellatio non tantùm ad correctionem iniquitatis, ſed etiam ad præſidium innocentiæ inventa eſt, *cap. cum ſpecial. §. 1. 10. de Appellati. Petrus Gregor. Tholoſanus tract. de Appellat. c. 10. per totum & ideò Mynſig. lib. 1. obſervat. 14. in fin.* ſtatuit quotidiè in Camera appellationes contra hujuſmodi ſtatuta recipi.

50. Abſolutis civitatum juribus ſuperſunt nunc earum privilegia inter quæ haud poſtremum ſibi vendicat locum nundinarum impetratio, quæ non ipſo jure civitatibus competunt ſed ſpecificè à principe veniunt impetrandæ, *l. 1. ff. de nundinis & l. unica C. eodem ubi Godof.*

51. Iis impetratis potiſſimum ſunt privilegiatæ, quod eas viſitantes non poſſint pro debito alibi contracto tempore nundinarum detineri *l. unica C. d. t.* quod etiam jure Saxonico conſtitutione Electorali receptum eſt, conſtituit. *30. p. 1. Franſ. Pfeil conſil. 181.* Marckfreyheit beſchleuſſ. *cent. 2.*

52. Hæc verò exaudienda ſunt de nundinis ſolennibus, non hebdomodariis ſeu vulgaribus von Wochenmärckten/ quas civitates jure ſuo, & vi jurisdictionis ſibi juſto titulo conceſſæ, etiam abſque Domini ſuperioris præſcitu poſſunt inſtituere. *Bocerus de Regalib. cap. 2. n. 239. Matt. Steph. de Iurisd. lib. 2. p. 1. cap. 1. memb. 2. n. 104.*

53. Omnia autem privilegia civitatibus conceſſa non utendo evaneſcunt, unde & nundinæ per non uſum decennio amittuntur *d. l. de Nundin.* niſi facultas utendi privilegio

legio ſe non offerat, non valenti n. nunquam currit præſcriptio *Geil.2.obſervat.60. Mynſ. reſponſ.71. num.11.* & ideò habentes ex privilegio merum imperium illud non amittunt præſcriptione longiſſimi temporis, ſi caſus puniendi facinoroſos nullus ſeſe obtulerit *Geil.d.l.n.6.*

54. Hoc loco non immeritò inveſtigatur, num privilegium civitati ad beneplacitum donec ſcilicet voluero conceſſum morte concedentis extinguatur? affirmat. *cap. ſi gratioſè 5. de reſcriptis in 6. & lex.4. C. locati* ibi: morte morientis voluntas ceſſat, ſecus eſt quando verbis quoad revocetur conceſſum eſt, & tùm non extinguitur morte, *cap. ſi delegatus de officio & poteſtate judicis delegati in 6.*

55. Exceptio tamen in Majeſtate Cæſarea eſt, cujus privilegium ad beneplacitum conceſſum morte non extinguitur, magis enim contemplatione dignitatis, quæ ſanè nunquam moritur, quam perſonæ donatum videtur, Ideoque perpetuò durat uſque verbis expreſſis revocetur ut notant. *G. C. ad dict. cap. gratioſè. d. l. & Hauer. th.150.*

56. Reſtant nunc ſpecies civitatum, poſtpoſitis a. variis diviſionibus quæ peti poſſunt *& l. 6. §. 2. de excuſatione tutorum.* juxta modernum imperii ſtatum diſtribuimus eas in liberas Reich vnd Freyſtädt/ & municipales ſeu Ducales Land oder Fürſtenſtädte/ illæ edicuntur non quod à Cæſaris ſed à principum Jurisdictione exemptæ ſint: hæ verò quæ in totum ſubſunt territorii Domino, & provinciales nuncupantur. *Mynſing. reſpon.13. n. 10. in Geid. lib.1. obſervat.1. n.19. Pauerm. d. t. cap. ult. n.9.*

57. Liberarum autem civitatum interdum aliæ immediatè recognoſcunt Imperatorem & nullum inſuper alium. Interdùm v. partim Imperatorem, partim Electorales vel Duces Imperii cognoſcunt, & hæ mixtum civitatum genus conſtituunt. *Hauer. d. l. th.157.*

58. Itaque civitas recognoſcens aliquem certo reſpe-

ctu ſeu conditionibus ſivè pactis expreſſis, manet in reliquis libera. Diſtincta enim ſunt habere jura quædam in aliqua civitate & eam ſubditam habere, prout de Ducibus Brunovicenſibus & Marchionibus Brandeburgenſ. & de Rege Hiſpaniæ demonſtrat *Matth. Steph. de jurisd. num. 36. & ſeqq. d. l.*

59. Inſuper reperiuntur & nonnullæ civitates quæ aut ſunt exemptitiæ, aut pactitiæ. Illæ ſunt quæ per privilegia ſeu præſcriptionem, contractus & pacta, aliosq; modos exemptionem adeptæ ſunt. *Heinrich. Bruning. diſp. de Rep. th.* 153.

60 Pactitiæ v. ſunt in quibus ſubmittens vel in totum, vel parte liber manet, ita ut ſubmiſſio fiat certis caſibus, extra illos v. integra ſervetur libertas, *de quibus Catalogum magnum adſert. Andreas Geil. practicorum oculatiſſimus lib. 2. obſervat. 64. n. 10.*

61. Hujuſmodi a. ſubmiſſio in præjudicium Imperii, & Reipublicæ nunquam fieri poteſt, propter rationem *capitis 1. de prohibita feud. alien. per Fridericum* niſi à potentioribus graviter moleſtetur, Imperatorque huic ſuppetias ferre in juſtis cauſſis planè detrectet. *Cluten. in Syllog. rerum quotidian. th. 27. litt. F.*

62. Revertendo nunc ad civitates Imperiales, aſſerimus eas ſeſſionem ac votum habere in Imperialibus Comitis, quod latè probat. *Hauer. d. l. th. 176. & ſeqq.* Ex magnis quas imperio ſolvunt penſitationibus, onere collectarum, ſolutione cenſus, vocatione ad comitia, ſubſcriptione receſs: Imperii, ac tandem inſertione matriculæ Imperii, pro qua fortiter præſumitur, *l. 3. Cod. de agent. in rebus lib. 12. & 11.*

63. Inſuper competunt illis etiam jura ſuperioritatis *(quæ tractat Matt. Stephan. tr. de Iuriſd.)* in ſuis territoriis, & quidem ideò quod inter ſtatus imperii magno ſuffragio receptæ ſint. *Herman. Vult. lib. 1. feud. cap. 6. Rutger. Ruland. de Commiſſariis lib. 5, cap. 4. n. 41. Geil. d. l. n. 7.* Ita

64. Ita habent etiam regalia (*quæ enumerantur in capitulo unico quæ ſunt regalia)* nempe Venationem, piſcationũ reditus ac merum & mixtum imperiũ. *Vult. c. 5. n. 7.*

65. Item fabricas,& publica armamentaria *Bocer. de Regal. cap. 2. n. 137. & ſeqq. Novell. 85. cap.* 1. clavium & portarum cuſtodiam, mœniorum reparationem, & fortalitiorum erectionem & quia hæc maximos ſumptus poſcunt, ideò illis ſpecialiter jure ſuperioritatis conceſſum eſt regale collectendi *l. unica.* C. *de Superind.*

66. Quod in tantùm ratione ſubditorum *(qui ſoli collectis gravantur argumento l, 6. § fin. de muneribus.)* ampliatur, ut etiam ad refectionem viarum, murorum, pontium, & fontium indifferenter contribuere teneantur *l. 7. & l.* 12. C. *de operibus publicis l. 30. ad municipalem* à quâ cõtributione nec Clerici eximuntur. *l. ult.* C. *de quibus muneribus neminem liceat cap. pervenit. extra de immunitate Eccleſiæ l. 7. Cod. de SS. Eccle. Bronch. Miſcelan. folio 422.*

67. Sic civitates,& univerſitates pro ære alieno diſſolvendo & pro aliis neceſſariis cauſis ac negotiis publicis *(veluti pro communi totius communitatis lite Roland. à valle conſ. 17. nu. 30. fol.* 3.) collectam ſuis membris imponere poſſunt *argumento. l. omnes ff. de operib. publicis & l. 1. § penult. ubi gloſſ ff. quod cuiq; univerſ. nom. Loſæus de jure univerſ. Int. p. 3. c. 9. n.* 1. *& ſeqq.* & quidem in vim quaſi pacti, conventionis, cõſuetudinis, &c. *Henrich Bruning. de var. univerſitat. ſpeciebus concluſ. 65.*

68. Perdunt a. hujuſmodi civitates jus collectandi non utendo per 40. annorum ſpacium, modo caſus collectandi ſeſe obtulerit *Mynſig. conſ. 70. n. 3. & 4.* aliter a. eſt in jure collectandi ſpectante ad Imperatorem, quod favore Imperii nullo etiam immemoriali tempore præſcribi poteſt. *tex. eleg. in l. 6.* C. *de præſcrip. 30. annorum.*

70. Sic etiam competunt illis vigore Regalium viæ publicæ, quas ſecuras, et à latronibus purgatas tenentur præſtare. *l.3.ff.de offic.præſidis*, ne iter facientibus deprædatio obtingat, quo caſu putāt. *Geil.l.1.obſervat.64.& Mynſing.cent.5. obſerv.7.* hujusmodi deprædatis rapinā in territorio cōmiſſam reſarciendam eſſe: Sed nos contrarium juri congruentius eſſe intrepidè aſſerimus *cum Bocer de regalib. fol. 142. & ſeqq.*

71. Eodem jure Regalium habent jura vectigalia, quæ ſunt certi reditus qui debentur ob importationem & exportationem mercium & ſalvum conductum. Qui verò illud debent niſi bona confiteantur, ob omiſſam confeſſionem res planè incidunt in commiſſum *l. ult. §. 3. C. de vectigal.*

72. Urgente a neceſſitate princeps vel civitas nova vectigalia exigere nequit. *tot.tit. C. nova vectigal. inſtitui non poſſe.* quandoquidem hoc vix ſolius Imperatoris ſit, cum teneatur Electorum ſingulorum conſenſum requirere. Reichs abſchied/ *Anno 1576. §.* weiter *Cluten. dict. l. th. 22. litt. A.*

73. Inter alia prætereà habent etiam jus monetæ, argētarias & metalli fodinas *d.c.unic.quæ Regalia* Salinas *l. 7. de verbo. Signif.* dimidiū in loco Cæſaris vel Religioſo reperti. *Bocer.de Regalib.fiſci cap.3.n.176.* Jus magiſtratuū creandorū, & famæ reſtituendi, ac indulgendi relicta, remittendique pœnas capitales. *l. 30. & t. tit. Cod. de Sentent paſſis*, non lege tamen divina impoſitas, de quibus nec ipſe princeps gratiam facere poteſt.

74. Ideò quod alioquin de aſylis dicitur, (quo uſque nocentes impunè fugere poſſunt. *Treutl.l.2.diſput.31.th.4 lit.C. in not.*) non eſt intelligendum de refugis nocentib. quippe illud concedi, & aperiri debet ratione honeſtatis iis, qui per caſum, culpam, & imprudentiam, & ſic non dolo malo deli-

deliquêre, *Deut.cap.4.v.41.& 19.v.2. Novell. 17.cap.7. Novell. 115.cap.15.argument.l.2 ff.ad SC. Velejan.*

75. Graviter itaque reprehendendi veniunt homines Pontificii indiſcriminàtim omnibus delinquentibus immunitatem delicti concedentes aperiendo Eccleſias prout palã eſt *ex cap.6.& final.extra immunitate Eccleſiaſtica.cap. verum cap.definivit* 17. *q.4.* etiam ex imaginariæ ſanctitatis plenitudine nondum conſecratas, *cap. 9. di.t. de immunitate Eccleſ.*

76. De pœnis autem à legibus præfinitis hoc loco non immeritò ambigitur, num à civitatibus pœna capitalis in aliam poſſit converti? nego ſi jus civile inſpiciam *l. aut damnum. 8. §. vita ff. de pœnis.* quod ſi de conſuetudine affirmes non eſt quod multum tibi repugnemus per tradita *Gotofr.ad l.8.verſ.div.fratres ff.d.tit.*

77. Ultimò etiam illis conceſſum eſt vacantia bona occupare cum habeant Regalia utique & fiſcalia. Item ſuccedunt ſpuris inteſtatò morientibus, ſi mater & frater non extet. *l.4.ff.unde cognati,* & ex damnato coitu adulterio abſque hærede morientibus, jure ſupperioritatis non hæreditatis. *l.1. Cod. de bonis vacantibus.* idem eſt in Reis læſæ majeſtatis *auth. bon. damnatorum C. de bonis proſcript.*

78. Et huc uſque de civitatibus Imperialibus diximus, tranſimus nunc paucis ad municipales, quarum ſubjectionis indicium eſt homagium ſeu juramentum ſubjectionis die Landhuldung oder der Bürger Eyd / quo debitam obedientiam & morem ſe geſturos ſub fidei religione ſanctè pollicentur. e *Andr. Knich. de jure Territ. cap. 3. numer.*

quo juramento & ejus formulis prolixè agit *Auctor* **des gründlichen Berichts von des H. Reichsſtatt Friedbergk Standt/ etc.** *cap.5. & 6. per tot. Thom. Micha. de Iurisd. concl. 57. in fin.*

80. Ex inſcriptione v. literarum conſueta **Unſern lieben Getrewen /** ſubjectio non arguitur, cum illa verba variam habeant ſignificationem, & non rarò pro præeminentia, interdùm v. pro utili, ſeu directo, quandoque etiam pro dominio protectionis accipiantur. *Bruning. ſupra.d l.th.35.*

81. Secundò etiam deprænhenditur & præſumitur ſubjectio, ex cenſus ſ. collectarum ſolutione **der Landtſtewer** *cap. omnis extra de cenſibus* quæ differt ab Imperiali **von Reichsſtewer.** nam hæc interdùm omnibus nemine excepto imponitur magiſtratibus. Interdùm v. ſtatibus in ſpecie ſolùm, illa imponitur ſubditis authoritate Imperatoris; provincialis jure proprio & regalium effectu *Hauer. d.l.th 271.& ſeqq.*

82. Expoſitis ſignis ſubjectionis deſcribuntur municipales civitates, quæ in totum ſubſunt territorium Dominis, & hanc princeps plenè vindicat, tantumque in illa poteſt, quantum Imperator in Imperio toto, cum omnimodam Jurisd. in illis exerceat. *Hauer. d.l.th.278.*

83. Et licet olim hæ civitates mixto, meroque imperio deſtitutæ fuerint *l. 26. ff. ad municipal. Bronch. Myſcell. fol. 179.* hodiè tamen omne ſibi vindicant vel emtionis, donationis, privilegii, conceſſionis, & præſcriptionis titulo. *Petrus Ferrar. in Prax. in form. libell. act. confeſſ. nu. 9. verſ. fallit. Matth. Steph. d.l.lib.2.parte 2. cap.2.n.17.* regalia tamen quæ territorio univerſali, & Imperatoris oſſibus adhærent, non habent, *argumento.pr.l.1.ff.de offic. cui mandata Matth. Steph. lib. 2.part.2.cap 2.n.24.& ſeqq.*

84. Nec impedit quod illis quandoque competant telonia, excuſſio monetæ, fodinæ, mineralia, collecta ru-

ralis

ralis, quia non hoc ut regale, ſed privilegium, & quidem tit. adventitio ſingulari, & ex empto ſcilicet, ſeu donato, præſcripto, per inveſtituram exercent *Matth. Steph. de Iuriſd. lib. 2. p. 2. cap. 2. n. 17. & cap. 7. n. 51. 52. Carol. Tapia in Rubr. de conſtitut Princ. cap. 4. n. 11. 12. Covarruv. in §. poſſeſ. part. 2. § 3. nu. 4. Loſæus de jur. univerſitat. p. 1. cap. 2. n. 22.*

85. Statuta autem quæ adminiſtrationem bonorum concernunt quilibet Magiſtratus municipalis non ſolùm abſque ſuperioris licentia condere. *tot. tit. de adminiſtrati. & ad civitatem pertinentium.* Sed inſuper tranſgreſſoribus eorum pœnas, & mulctas irrogare poteſt. *l. 2. §. 6. ff. ſi quis* in jus vocat non ierit. *Cujac. in parat. C. de Magiſtrat. Municipall. Bocer. de Regalib. cap. 3.*

86. Hoc tamen in illis municipiorum ſtatutis requiritur, ne ſint legibus publicis contrariæ, nec derogent juri univerſali, ac territoriali. *l. 9. ff. ad l. Rhod. de iact. l. fin. ff. de colleg.* Cùm lex inferiorum non poſſit tollere ſuperiorem. *cap. cum inferiori de electionib. Iacob. Thoming. conſ. 24. qu. 5. num.* 15.

87. Poteſt itaque & ſtatuta facere de rebus venalibus ut ſcilicet ſoli cives excluſis extraneis res eas quas tanquam artifices operantur, venales in foro habeant **das frembde Handwercks leuthe jhre zubereitete Arbeit nicht in jhrer Stadt verkeuffen oder feil haben dürffen.** *Mode Piſtor. p. 4. q. 13. n. 7. & 8. Reſolut. Scabin. Lipſ. d. q. 46. n. 10. Matth. Steph. de Iuriſd. lib. 2. p. 2. cap. 2. n. 45. 46.*

88. Collectas inſuper exigente neceſſitate municipalis magiſtratus rectè exigit jure tamen communi non regalium *Borcholt. de Regalib. n. 65. & ſeqq. Bronch. Miſcell. pag.*

habetur ac ſi tota civitas feciſſet *l. 3. ff. quod cuiusq; univerſ. l. 14. ff. de pactis. l. 14. ff. ad municipal.* & quicquid pacti ſunt id tàm ad civitatis damnum, quam lucrum omnimodò pertinet. *Hartm. Piſtor. p. 1. q. 37. n. 51. Steph. Gratia. lib. 2. diſcept. forenſ. c. 279. n. 6.*

90. Et hæ civitates cùm bona & patrimonia habeant, ac ſi alios obligatos poſſunt habere, ita non minus ex ſuo contractu obligantur: non ſolum ſi omnes in unum convocati cives communicato conſilio, verùm ſi adminiſtrator nomine civitatis contrahat *l. 27. ubi Abel. Strasburg. ff. de rebus creditis.*

91. Ex mutuo a. licet itidem ut privati obligentur, non tamen aliter quam ſi probatum ſit pecuniam eſſe in civitatis uſum verſam. *dict. l. 27. ff de rebus eod. Novell. 20. cap. 6. §. 2. argument. l. fin. C. de vendit. reb. Civitat. Niel de feudis 8. corollar. 2. Gæddeus l. 17. n. 20. & ſeqq. de verb. ſignif. Heyg. part. 1. q. 34. Hering. de fidejuſſ. cap. 7. n. 628.*

92. Quando a. civitas læſa eſt ſanè adverſus contractum communi conſenſu celebrâtum poteſt reſtitui, quia uti poteſt ex conceſſione legis beneficio minorum. *l. 3. C. de Repub. l. 4. C. ex quibus cauſis majores l. 1. C. de offic. eius qui alicuius judicis Geil. 2. obſ. l. 2. n. 4.*

93. Civitas etiam non ſolùm in civilibus *l. 1. §. 1. ff. de magiſtrat. conveniendis.* Sed etiam ex delicto obligatur *l. 9. §. 1. ff. quod metus cauſa; Mynſig. 4. obſerv. 75.* Si vel communicato conſilio delictum ſit admiſſum, vel major civium pars deliquerit. *l. aut facta §. ult. ff. de pœnis* vel delictum per conniventiam ſit approbatum. *Mynſing. obſervat. 29. cent. 4. Geil. de pace publica cap. 9. n. 4. Gædd. ad l. 17. de verb. Signif.*

94. Superpendii loco concludimus: majoris fidei gratia civitatibus permiſſum eſſe ciuium bona ac earum perſonas ita obligare, ut in caſum non factæ ſolutionis,

ubiq;

ubique locorum apprehendi & arreſtari poſſint *Abel.Straſburg.ad dictam l. 27. pag. 229. d. l. Dd. ad l. ſicuti ff. quod cuiusque univerſitat.*

95. Quod autem ita arreſtatus vel detentus præſtitit, damnique quod accepit æſtimationem ac refuſionem à communitate vel civitate poteſt repetere. *Laurent. ſylv. conſ. 31. num. 8. Panorm. conſil. 21. in cap. q. lib. 2. & conſ. 60.* Et hæc paucula pro re nata ſufficiant.

P A R E R G A.

1. Per pœnitentiam rei ſ. baptiſmum non tollitur pœna civilis. *Speckhan cent. 2. ſ. 147. Andr. Gerh. decad. ult. Exerc. Iuſt. coron. 1.*

2. Vendito equo etiam Sella & cætera ornamenta quib. ornatus erat equus tempore venditionis deberi verius eſt. *l. 38. in pr. ff. de ædil. Ed. ct. l. euim qui. ff. non ſolum ff. de fuit.*

3. Tranſigens ſuper litigioſa re delictum fateri minime cenſetur. *Coler. quæſt. Sax. p. 2. Heyg. l. 2. q. 24. Mynſ. 6. obſ. 22.*

Ad momum.

OMnia non omnes; nec & omnibus omnia. Quare
Linque mihi mea, Tu fac meliora tibi.

Ad Virum Præſtantiſſimum nec non Doctiſſimum Dn. Zachariam Claium LL. ſtudioſum amicum ſuum colendum diſputantem.

IN diverſa trahunt diverſos vota, ſequentur
Quique ſuum; votis libera cura piis.

ALIUD.

CLaja clarorum cla jorum gloria viva,
Nunc olim, maior morte, notata cedro
Vivis in eximiis, numen ſpirantia, ſcriptis
Clare Poetarum Claie Poeta, decus
Cui lingua eximii non dicta ſcientia Clai
Sancta, cui verſus non patuere tui
Eoo quo terra tepet, quo veſpera friget
Laus nitet in Claio viva, Cleosq; nitet
Et tu progrediens te dignum redde vetuſtis
Nominis (utq; precor) laudis & hæres eris.

gratulabundus
adjecit.

M. Michaël Höfer.

Ad

Ornatiſsim. nec non Politiſsim. Dn. Reſpondentem,
Amicum meum ſingularem.

QUi, bone CLAJE, theſes aliis das diſcutiendas,
Laudibus extolli nónne meréris iis?
Egregium herclè virum te præſtas non tibi ſaltem,
Verùm etiam reliquis commoda grata paris.

Felix,

Felix, qui cœpto nunquam diſcedis ab iſto!
    Tempora ſi venient juſta, politus eris.
Perge modò doctam ſic exercere Minervam,
    Illique ut faveat, comprecor, Omnipotens.

L. mq; deproperabat

Bartholomæus Krebs/
Lipſienſis.

ALIUD.

MUSA, Sophia Themis tua jam ſunt Claje cupido
    Te lepidæ redamant Muſa Sophia Themis,
Muſa tibi dictat blando ζητηματα ſenſu
    Verba ſonis addas aptior invalidis.
Docta Sophia ſuos imos penetrare receſſus
    Te facit, ut valeas pectore judicij
Perge amplecti eas, Muſam Sophiamque Themiſtam:
    Præmia magna dabunt, Muſa. Sophia Themis.
Muſa facit Vatem, facitque Sophia peritum,
    Juſtitiæ Solem te facitque Themis.

Dextri affectus conteſtandi gratia pro tempore addebat.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE